

*citatis*, ex Cartesii inventione declarandæ.

Quæ quidem tota proposita nobis tractatio non ad relativam & initialem Dei contemplationem, verūm ad absolutam & perfectiorem, spectat, estque nobilis admodum Naturalis Theologiæ portio. Exercere igitur nos incipiamus.

1. Res hujus universi sunt in triplici differentia : aliæ sunt merè intellectuales, ut Angeli; aliæ merè sunt corporeæ, ut Lapi-des; aliæ ex utroque rerum genere *compositæ*, ut Homines. Et hujus compositionis intuitu res illæ, quæ sunt tantùm unius generis, dici queunt *simplices*.

2. Atque ita etiam Deum intelligimus, non compositum ex re intellectuali & materiali, ut Anthropomorphitæ crediderunt, Deum facientes hominiformem; sed rem simplicem & merè intellectualem. Et hæc simplicitas Deo & aliis rebus quam plurimis quodammodo commuuis est, ut patet.

3. *Simplex* etiam moralem habet significationem, ita ut notet vel *defectum*, quem admodum hominem non acrem ingenio dicimus simplicem, & Cartesius epist. dedic. ad Elisabeth. principem, loquens de virtutibus quæ non à sola recti cognitione, sed etiam